

iidem auctores fatentur. Ergo neque in adultis, neque in parvulis habet locum illa illatio, vel disjunctio, quod si non circumciderentur, deberent baptizari. Sit ergo certum legem evangelicam positivam non obligasse Gentiles ante Christi mortem, et consequenter neque ante diem Pentecostes, juxta superius dicta.

17. *Dubium.* — *Ad cujus solutionem aliud dubium præmittitur.* — *Pars affirmans suadetur.* — De reliquo vero tempore, est speciale dubium an eodem tempore inceperit nova lex obligare Gentiles quo Judæos. Ad cujus resolutionem aliud præmitto, videlicet, utrum Apostoli, in principio suæ prædicationis, promulgaverint Evangelium æqualiter gentibus ac Judæis. Nam si consideremus usum seu factum, videntur Apostoli per plures annos prædicasse Evangelium Judæis, et non gentibus, ut patet ex discursu Act.; nam cap. 1 Petrus ad Judæos loquebatur dicens: *Vobis est repromissio, et filiis vestris;* et cap. 2: *Vos estis filii Prophetarum,* etc.; et infra: *Vobis primo Deus suscitans filium suum misit eum benedicientem vobis,* etc.; et cap. 5: *Hunc principem et Salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam penitentiam Israeli, et remissionem peccatorum.* Et cap. 8, cum discipuli essent dispersi, occasione persecutionis quæ facta fuerat sub Stephano, cœpit Evangelium prædicari etiam Samaritanis, qui etiam Judæi erant, licet in moribus et doctrina errarent. Et ibidem Philippus baptizavit eunuchum de quo supra ostendimus saltem fuisse proselytum et legis cultorem, ut ejus pietas et affectio, ac reverentia ad Scripturam sacram ostendebat, et Chrysostomus, hom. 19 in Acta, eleganter expendit. Imo in c. 11 Act. additur quosdam ex illis discipulis dispersis pervenisse usque Phœnicem et Cyprum, et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. Ergo usque ad illud tempus non potuerunt Gentiles obligari lege Christi, cum eis non promulgaretur, et tamen Judæi jam obligabantur, ut ex supra dictis constat. Hoc etiam confirmat revelatio facta Petro Act. 10, nam ex ea manifeste colligitur Petrum antea non prædicasse Evangelium gentibus; imo videtur usque ad illud tempus existimasse id sibi non licuisse, quod etiam ipse ostendit in c. 11, ubi ex sola revelatione excusatur factum, dicens: *Ego quis eram, qui possem prohibere Deum?* Et hic tunc fuisse videtur communis sensus Judæorum, etiam in Christum credentium; vel saltem putabant non esse Gentiles admittendos ad fidem, nisi prius circumciderentur, ut patet

ex Act. 11 et 21, et Ep. ad Gal. Fundarique poterant, quia putabant esse Judæis prohibitum in lege, Lev. 20, communicare cum gentibus præputium habentibus.

18. *Pars negans suadetur.* — In contrarium vero est, quia non est verisimile ignorasse Petrum et alios Apostolos Christum mortuum fuisse pro omnibus hominibus, et redemisse Gentiles æque ac Judæos, et consequenter pro utrisque legem suam tulisse. Præsertim quia illis præceperat: *Docete omnes gentes baptizantes eos, et cunctes in mundum universum, prædicare Evangelium omni creaturæ;* per quæ verba abstulit prohibitionem quam prius fecerat: *In viam gentium ne abieritis;* ergo statim debuerunt hanc legem omnibus prædicare, sive Gentiles essent, sive Judæi. Probatur consequentia; tum quia nulla ratio erat ob quam vitarent tunc Gentiles in hac legis gratiæ communicatione; tum etiam quia ex lege veteri non colligitur talis prohibitio. Nam ut notavit Abulens., Levit. 20, q. 1, nullum erat in lege præceptum prohibens Judæis omnem communicationem cum gentibus, sed solum in matrimonii vel quibusdam cibis aut actibus specialiter in lege prohibitis: unde poterant alia commercia habere cum gentibus. Imo etiam Gentiles permittebantur adorare Deum in templo, ut sumitur ex Joann. 12, ubi dicitur adfuisse ibi quosdam Gentiles qui venerant Jerusalem adorare; ubi Theophil. notat illos non fuisse proselytos, et licet Chrysost., homil. 65, dicat parum abfuisse ut essent proselyti, non tamen dicit fuisse circumcisos. Item id non fuisse necessarium satis colligitur ex 3 Reg. 8, ubi Salomon, in dedicatione templi, oravit Deum *ut alienigena, qui non est de populo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum, et oraverit in hoc loco, tu exaudies in celo,* etc.

19. Neque obstat quod Josephus, lib. 8 Antiquit., cap. 2, alias 3, dicat non fuisse admissos intra Hierosolymitanum templum nisi pueros et castos, ac præscripta legis observantes; unde a fortiori colligitur neque Gentiles admissos fuisse. Quod videtur etiam sumi ex Jeremia, Threnor. 1, ubi deplorat gentes ingressas esse sanctuarium Dei, *de quibus,* inquit, *præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.* Hoc, inquam, non obstat: nam Josephus loquitur de atrio templi specialiter destinato pro judaico populo observatore legis, atque adeo pro mundis tantum Judæis: Gentiles vero admittebantur cum immundis ad orandum, vel in janua templi, et extra illam, ut

vult Ribera, lib. 1 de Templo, cap. 16, in fine; vel admittebantur in alio atrio peculiari deputato pro immundis, ut multi alii volunt, et videtur sumi ex dicto loco Regum. Alter vero locus potest exponi de gentibus non colentibus verum Deum, de quibus conqueritur etiam Ezechiel cap. 44, et eos vocat *incircumcisos corde et carne;* illi ergo prohibiti erant orare in templo. De Gentilibus autem colentibus Deum non constat talis prohibitio, neque illos ibi adorare Deum per se erat contra sanctitatem illius templi: ergo communicatio Judæorum cum istis nec per se mala erat, nec prohibita; ergo multo minus erat prohibitum Apostolis, ex vi veteris legis, communicare cum gentibus, convertendo illos ad cultum veri Dei et ad legem evangelicam servandam. Imo hoc videri poterat consentaneum veteri legi, quatenus in veteri Testamento prædictum erat ex Sion exituram legem divinam, quæ ad omnes populos et gentes extendere-tur. Denique qualibet obligatio veteris Testamenti jam cessaverat respectu Apostolorum; a Christo autem nullam habuerunt prohibitionem, nec definitam directionem, ut ab his potius inciperent quam ab illis: ergo non potest cum fundamento dici fuisse necessarium prius Judæis quam gentibus legem promulgare: ergo verisimilius est æque et indifferenter eam omnibus propositam fuisse, ac subinde simul utrumque populum obligare cœpisse.

20. *Resolvitur dubium.* — In hoc puncto brevis resolutio in hunc modum tradi potest. Nam aliud est loqui de obligatione, seu necessitate; aliud de facto, seu de usu. Quantum ergo ad obligationem, censeo nunquam fuisse prohibitum Apostolis post Christi mortem prædicare Evangelium gentibus, et e converso non fuisse præceptum prius promulgare legem Christi Judæis quam Gentibus. Hoc mihi probant omnia adducta in posteriori loco, quia non invenio fundamentum sufficiens ad ponendam talem prohibitionem vel necessitatem. Et si fortasse aliqua fuit, non est referenda in legem veterem, sed in peculiarem instinctum Spiritus sancti ut jam declaro. At vero, quoad usum seu factum, dicendum est ita observatum esse ab Apostolis in promulgatione legis evangelicæ: nam per aliquot annos illam solis Judæis prædicarunt, et non gentibus, usque ad revelationem factam Petro Act. 10. Hoc constat ex historia Actorum, et ex aliis quæ priori loco adducta sunt.

21. Neque obstat quod dicitur Act. 9, Paulum, in primo recessu ad Jerusalem, ibi locu-

tum esse gentibus, et disputasse cum Græcis. Nam responderi potest Græcos illos fuisse Judæos, ita appellatos quia græce loquebantur. Unde vox græca potius significat græcizantes, quam Græcos; et eosdem fortasse vocavit interpretes Gentiles, nam in græco illæ duæ voces non ponuntur distincte. Vel certe per Gentiles intelliguntur aut Judæi qui ex provinciis gentium Jerusalem venerant, vel e converso Gentiles origine, professores autem legis et proselyti jam facti. Vel certe si locus ille de Gentilibus tam origine quam religione intelligatur, ut littera simpliciter intellecta indicat, recte ponderavit Bell., l. 1 de Summo Pont., c. 22, ibi non dici Paulum prædicasse gentibus, sed locutum esse et disputasse cum illis. Fieri autem potuit ut, prædicante Paulo Judæis, Gentiles audirent aliqua suis erroribus contraria, et inde sumerent occasionem disputandi cum Paulo. Et conjectura non parva est, quia ibi non dicitur aliquem eorum fuisse conversum, sed potius grave odium in Paulum concepisse. Aliunde vero ex eadem historia constat Paulum eundem ordinem in sua prædicatione tenuisse. Nam in eodem cap. 9 de illo dicitur: *Et continuo in synagogis prædicabat Jesum,* scilicet, statim postquam fuit baptizatus; et in c. 13 legitur longus sermo Pauli ad Judæos, quibus repugnantibus et contradicentibus Paulus et Barnabas dixerunt: *Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.*

22. *Nunquam ignorasse Apostolos legem gratiæ esse universalem.* — Et hinc potest reddi ratio hujus ordinis. Existimo enim nunquam ignorasse Apostolos legem gratiæ universalem esse pro omnibus gentibus, nam hoc persuadent testimonia supra adducta: unde verisimile est partim ex Scripturis antiquis, partim ex divina inspiratione illum ordinem observasse, quia intelligebant ita esse divina ordinatione præscriptum, juxta illud Pauli ad Rom. 11: *Illorum, id est, Judæorum delicto salus est gentibus, delictum illorum, divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum, divitiæ gentium.* Et hoc idem significavit in verbis supracitatis, post quæ subjungit: *Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium,* etc., ubi nomine præcepti decretum et præordinatio divina intelligi potest, vel si rigorose sumatur, intelligitur absolute de promulgatione Evangelio gentibus suo tempore, et quando occasio id ferret. Addi etiam potest hoc obser-

vasse Apostolos, quia nondum eis revelatum erat, neque ipsi inter se satis discussserant aut definierant an gentes, in præputio permanentes, vocandæ essent et admittendæ ad Christi Ecclesiam, vel media circumcissione. Denique id facere potuerunt ex quodam ordine charitatis, ne Judæi scandalizarentur et ita fierent duriores ad Evangelium recipiendam, quia ex antiqua consuetudine vitabant consortium gentium, ut constat ex Act. 11, et ad Galat. 1. Atque ita, quantum ex historia Actorum colligitur, in promulgatione hujus legis hic ordo servatus est, ut primum in Judæa, deinde in Samaria, et deinde in gentibus prædicata fuerit, juxta verbum Christi Actor. 1: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, usque ad ultimum terræ.*

23. *Hinc infertur primo.* — Ex hac ergo resolutione constat legem novam non incepisse obligare Gentiles per se ac proprie usque ad revelationem Petro factam, Actor. 10. Probat, quia lex non promulgata aliquibus, seu pro aliquibus, eos non obligat; sed lex nova non fuit promulgata gentibus usque ad illud tempus: ergo neque illos obligavit. Consequentia evidens est, et utraque præmissa sufficienter est in superioribus probata. Dices, esto verum sit Apostolos illo tempore non prædicasse directe gentibus, nihilominus fieri non potuisse quin multi Gentilium habitantes vel peregrinantes inter Judæos, eorum doctrinam audirent et signa viderent; ergo hoc satis erat ut obligarentur legem Christi suscipere. Respondeo potuisse fortasse aliquos Gentiles illo modo obligari ad credendum et colendum verum Deum, vel etiam Christum, et ad sperandum salutem per ipsum, et consequenter ad illa omnia moralia quæ lex nova præcipit, quatenus per rationem fide illustratam necessaria esse ostenduntur. Nihilominus tamen non obligabantur per se ac proprie ad observationem legis novæ, ut est positiva divina, quia non solum non proponebatur illis necessitas Baptismi, verum etiam neque offerebatur, quia tunc nullus Gentilium habens præputium admittebatur ad Baptismum, usque ad Cornelium; ergo fieri non poterat ut obligarentur ad illum: ergo nec ad reliqua præcepta hujus legis, cum Baptismus sit reliquorum fundamentum.

24. *Infertur secundo.* — *Objectio.* — Ex quo infertur, secundo, ex eo tempore quo facta est Petro dicta revelatio, cœpisse Apostolos libere prædicare Evangelium gentibus, ipsosque Gentiles cœpisse per hanc legem obligari, non

tamen fuisse obligatum totum orbem, sed successive, prout Evangelium promulgabatur. Prior pars manifesta est ex dictis, quia accedente promulgatione nihil amplius desiderari potest ad talem obligationem. Altera vero pars patet etiam ex dictis proxime de modo quo hæc lex obligavit populos Judæorum: nam eadem est proportionalis ratio de populis gentium. Unde licet pauci scholastici distinguant initium obligationis hujus legis respectu Judæorum et gentium, nihilominus illam non negant, et omnes illi qui promulgationem necessariam esse existimant etiam ad obligationem legis divinæ positivæ, necesse est ut illam admittant, supposita historia Scripturæ et testimoniis quæ ponderavimus. Et similiter, qui ad obligationem hujus legis in locis distantibus requirunt temporis successionem, necesse est ut, tam respectu Gentilium quam respectu Judæorum, illam postulent. Et ita possunt pro hac sententia merito citari Bonaventura in 4, distinction. 3, parte 2, articulo 3, quæstion. 2, in fine; Scotus, quæstion. 4; Gabr., distinction. 1, quæstion. 4; imo et etiam D. Thomas in locis in princ. hujus capituli allegatis; et August., epist. 8 et 89, ut superiori libro, cap. 13, ponderavi. Item Bernard., Epist. 77; et Hugo de Sancto Victor., lib. 2 de Sacrament., p. 6, capit. 4. Solum superest difficultas, quia videtur sequi ex dictis etiam nunc non obligare legem gratiæ totum universum, quia nec ab Apostolis promulgatum est Evangelium in toto mundo, nec promulgatum erat tempore Origenis, ut ex illo sumitur tractat. 28 in Matth., nec tempore Augustini vel Ruphini, ut sumitur ex Augustino, epistol. 80, et ex Ruphino, libro primo Histor., capite nono et decimo, nec tempore Bernardi, ut ipse significat libro tertio de Consideration. ad Eugen., ac denique in nostro tempore videtur hoc experientia compertum esse: ergo per omnia hæc tempora lex nova non obligavit totum mundum. Consequens autem admitti non potest, alias in multis orbis partibus potuissent toto hoc tempore salvari infantes sine Baptismo.

25. *Responsio.* — Respondeo negando sequelam, et ad probationem, respondetur distinguendam esse promulgationem a divulgatione seu notitia promulgationis. Nam promulgatio sufficienter facta est ab Apostolis in die Pentecostes et deinceps, cum *in omnem terram exivit sonus eorum*, Rom. 10, juxta verbum Christi: *Eritis mihi testes usque ad ultimum terræ*, quod saltem per famam prædi-

cationis impletum esse sentit Hieronym., Matthæi 24, ita exponens illa verba Christi: *Prædicabitur hoc Evangelium in universo mundo, et tunc veniet consummatio*, id est, destructio Jerusalem, ut ipse ad litteram exponit, et idem sentit Chrysost., hom. 76 in Matth., et D. Thom. supra dictum locum ad Roman. Fieri autem potuit ut hæc notitia Evangelii per multum tempus vel omnino non pervenerit ad multas mundi provincias, vel saltem non sufficienter. Hoc vero non obstat quominus totum mundum obligaverit post transactum tempus sufficiens ad perfectam diffamationem et notitiam. Unde etiam distinguendum est id quod est per se, ab eo quod est per accidens, et distinguenda est excusatio a carentia obligationis. Per se enim promulgatio publica cum tempore sufficiente ad integram divulgationem est necessaria ad integram obligationem; per accidens autem potest illa divulgatio aut notitia impediri, inde tamen non impediatur obligatio, quamvis oriri possit excusatio. Et ita concedo potuisse plures gentes excusari multo tempore a transgressionem hujus legis, quia licet lex de se jam eos obligaret, ignorantia poterat a culpa excusare. Non tamen potuit ignorantia impedire necessitatem Baptismi nec irritationem alterius remedii; nam hunc effectum lex per seipsam operatur independenter a notitia subditorum. Quod non est inconveniens, nec contra divinam providentiam, quando solum per accidens contingit, et sufficiens promulgatio cum necessitate temporis amplitudine præcessit, quia omnibus legibus hoc commune est, ut ex dictis in superioribus constat.

CAPUT V.

AN LEX NOVA JUSTIFICET VEL ALIOS HABEAT EFFECTUS.

1. *Legem novam justificare, et in hoc superare legem veterem.* — Communis ac certa sententia est, legem novam justificare, et in hoc superare legem veterem, quod non solum jubet præcipiendo, sed etiam juvat, gratiam et auxilium ejus inspirando, ut docuit D. Thom. 1. 2, q. 106, art. 2, et ibi omnes, et ex sacra Scripturæ expositoribus modernis tradit late Barrad., tom. 1, l. 1, cap. 3. Item Salm. ad Rom. 3, disp. 29, et ad Rom. 7, disp. 6; ex scriptoribus vero contra hæreticos Bell., l. 1 de Verbo Dei, c. 48, et latius l. 4 de Justificat., a principio usque ad c. 6; Stapleton., in Antidoto ad Roman. 3; Valent.,

lib. de Differentia veteris et novæ legis. c. 1. Probari autem solet hæc doctrina ex Paulo, ad Rom. 1, dicente: *Evangelium est virtus Dei in salutem omni credenti*, nam Evangelium idem est quod lex gratiæ: dicitur autem virtus Dei, quia dat vires ad bene operandum, utique per justitiam et auxilium gratiæ. Et huic consonat illud 1 ad Corint. 15: *Nolum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis, quod et accepistis, per quod et salvamini*; salvantur autem homines si justificentur et in justitia perseverent: ergo totum hoc confert Evangelium. Præterea frequenter Paulus docet legem veterem non justificasse, quod supra diximus esse verum de tota lege, etiam ut includente præcepta moralia, cum August. de Spirit. et litter., c. 8 et 17; et in hoc intendit Paulus distinguere legem veterem a nova. In hoc enim sensu dicit ad Rom. 3: *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei*, id est, evangelicam, quam c. 8 vocat legem *Spiritus vite in Christo Jesu*; et de illa subjungit: *Liberavit me a lege peccati et mortis*; et infra ait datam esse *ut justificatio legis impleretur in nobis*. Et ita intelligit hæc loca August., l. de Spirit. et litter., c. 4, 8, 14, 16 et 18, et lib. 1 contra duas epist. Pelag., cap. 7 et 21; l. 1 de Pecc. mer. et remis., c. 11; ep. 157 ad Optat.

2. *Objectio.* — *Responsio D. Thom. ex Augustino.* — *Difficultas.* — Non est autem facile ad explicandum quomodo lex nova faciat effectum, quia lex consistit in præceptis; præceptum autem, ut tale est, non justificat, quia non dat gratiam nec vires spirituales; est enim quid extrinsecum objectum, bonum vel malum ostendens, vel constituens, et ita per se spectatum quasi extrinsece se habet ad hominem, sicut objectum: ergo non potest justificare, etiam in lege nova. Nam quoad hoc eadem videtur esse ratio de hac lege quæ de quacumque alia. Ad hanc vero difficultatem respondet D. Thom. supra, ex Augustino, in locis allegatis, in lege nova duo esse, nimirum præcepta, documenta, seu consilia Christi, et spiritum fidei et gratiæ qui in ea communicatur. Quoad priorem ergo partem concedit D. Thom. legem novam non justificare, propter rationem dictam; per spiritum autem gratiæ dicit justificare, et quia hoc posterius est præcipuum in lege gratiæ, ideo simpliciter hæc lex justificare dicitur, juxta hanc declarationem. Et consequenter omnia loca Pauli in quibus sermo est de lege justi-